Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift

subuenia uiueremus. Propterea ergo nobis per mediatorem prestita est
gratia, ut polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mun
daremur. Hac dei gratia qua in nos ostendit magnam misericor
diam suam et in hac uita per fidem regimur, et post hanc uitam per
ipsam speciem incommutabilis ueritatis ad perfectionem plenissimam
perducemur. Dicit etiam Porphirius diuinis oraculis fuisse responsum
nos non purgari lunę theletis atque solis, ut hinc ostenderetur nullorum
deorum theletis hominem posse purgari. Cuius enim theletę purgarent,
si lunę solisque non purgant quos inter cęlestes deos precipuos habent?
Denique eodem dicit oraculo expressum, principia posse purgare, ne
forte cum dictum esset non purgare theletas solis et lunę, alicuius
alterius dei de turba ualere ad purgandum thelete crederentur.
Quę autem dicat esse principia tamquam platonicus nouimus. Dicit
enim deum patrem et deum filium, quem grece appellat paternum intel
lectum uel paternam mentem. De spiritu autem sancto aut nichil aut non
aperte aliquid dicit, quamuis quem alium dicat horum medium non in
telligo. Si autem tertiam sicut Plotinus ubi de tribus principalibus sub
stantiis disputat, animę naturam etiam iste uellet intelligi, non
utique diceret horum medium, id est patris et filii medium. Postponit
quippe Plotinus animę naturam paterno intellectui. Iste autem cum
dicit medium, non postponit sed interponit. Et nimirum dixit hoc
ut potuit siue ut uoluit, quod nos spiritum sanctum, nec patris tantum, nec
filii tantum, sed utriusque spiritum dicimus. Liberis enim uerbis locuntur
phylosophy, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem
religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam lo
qui fas est, ne uerborum licentia etiam de rebus quę his significantur
impiam gignat opinionem. Nos itaque ita non dicimus duo uel
tria principia cum de deo loquimur, sicut nec duos deos uel tres
nobis licitum est dicere, quamuis de unoquoque loquentes, uel
de patre, uel de filio uel de spiritu sancto etiam singulum quemque deum esse fa
teamur, nec dicamus tamen quod heretici Sabelliani eundem esse pa
trem qui est et filius, et eundem spiritum sanctum, qui est pater et filius, sed patrem
esse filii patrem, et filium patris filium, et patris et filii spiritum sanctum, nec
patrem esse nec filium. Verum itaque est dictum non purgari hominem
nisi principio, quamuis pluraliter apud eos dicta sint principia.
Sed subditus Porphyrius inuidis potestatibus de quibus et erubescebat,
et eas libere redarguere formidabat, noluit intelligere Christum esse
dominum principium cuius incarnatione purgamur. Eum quippe in ipso